



II. Abtheilung: Mittheilungen.

Gregorii VII. Pontificis. Sanctissimi.

**Catholicae. Que. Ecclesiae. Athletae. Invictissimi
Solemnis. Saecularibus. Ab. Obitu. Octavo. Recurrentibus
Humilis. Haec. Nostra. Inter. Religiosas. Ephemerides
Honoris. Tributum. Utut. Levem
Indigeti. Suo. Lubens. Merito. Solvit
In. Spem. Praesidii. Et. Incrementi
O. Qui. In. Fide. Tuenda. Et. Integerrima. Servanda
Facinorum. Certe. Maximum. Mortalium
Commune. Subisti. Capiti. Periculum. Tuo
Nostris. Recepte. Coelo. Votis. Annue
Petri. Cathedram. Defende
Bella. Pestem. Que. Et. Famem
Et. Patriis. Hydram. Haereseos. Arce. Finibus
Tutare. Dive. Precamur. Benedictinum. Decus**

Gregorius VII Christianae Fortitudinis Heros.

Aetatem vivimus, qua omnis caetus, gens civitas regio omnis in lucem revocare satagit memorias eorum, quos unaquaeque genuerit magni nominis viros: eisque monumenta erigere, saecularesque celebritates dicare. Sapientissimus quidem mos, qui chaos implet a modernae haereseos adsertoribus inter nostrum et retro acta saecula defossum; historiae veritatem sanat calumniosas fabulosisque narratiunculis tam dire vulneratam; priscorum virtutem in exemplum, aemulationem, et viventium exprobrationem constituit; ideamque saltem implexam fovens vitae cuiusdam tumulo superstitis, multiplicat rationum momenta de humani spiritus immortalitate.

Verum, cum mortalium genus totum quantum est, a suis exordiis usque ad extremum fatum, in binas civitates illas, Dei et Satanae, Hierusalem et Babylonis, scindatur, de quibus Augustinus meminit: nil mirum si filii Satanae, Babylonis auctoris, filiis Dei, Hierusalem conditoris adversentur: ita ut nemo fere inveniat christianam virtute clarus, cui pars inimica infamiae notam inurere non adlaboraverit, eiusque laudem obruere conata sit per accusationum torrentem sive merito sive mendacio exaggeratarum, sive calumniis veritate mixtis confictarum.

Veri huius, ceteris probationum argumentis deficientibus, luculentissimum testimonium esse potest unus Gregorius, Septimus inter eiusdem nominis Pontifices Maximos; cuius decus catholicis orbis universus hisce diebus extollit, et illustrem agonem omnes non fucatae sapientiae sectatores, florenti semper memoria, octo saeculorum decursu usque modo celebrare non desinunt. At si mentis aures modicum praestes Protestantismi et cuiuscumque religiosi erroris asseclis, nil tibi iniquius, elatius, imo crudelius deblaterabunt, praeter adamantinum illud pectus, quod Numen statuit in signum et portentum fortitudinis omnibus, qui omnium aetatum fluxu sincera virtutis specie delectabuntur.

Quae cum ita sint, nobis tributum laudis, quamvis imparem, excelso Viro et Familiae nostrae Benedictinae honori praestantissimo persoluturis, visum est de eius animi fortitudine ita disserere; ut per eam, tamquam tesseram et characterem ipsius proprium, inter omnes Catholicae sanctitatis Heroas secernatur, omniaque in eum adversariorum dicteria nihil aliud fuisse se prodant, nisi cerberi cuiusvis latratus ad sidera; quippe quae in enarranda historia non veri sed partium studium arguunt.

Nemo autem suspicetur, quia plures praedicantur fortes, id quod tractandum suscepimus argumentum commune esse. Sicut enim omnes sunt flores, quibus tellus vere afflante ridet, omnes stellae sunt, quibus coelum nocte labente micat, tametsi neque flores neque stellae omnes sint pulchritudine et magnitudine pares: ita affirmare audemus inter densa Heroarum agmina, qui christiana fortitudine excelluerunt, tanta luce enituisse Gregorium, quanta iure meritoque Heros inter heroas praedicetur. Magnum revera argumentum, opus sane difficile; at animo veritatis cupido nihilominus probatum et inconcussum.

I. Fortitudo tota quanta est duplici cardine movetur regiturque, et agere et pati magna. Unde tritum vulgatumque illud: Agere et pati fortiter Romanum est. Imo ipsius Leonis de tribu Iuda, Iesu Christi Servatoris vitam peracute et compendiose illa Augustini sententia amplectitur: Mira facere et mala pati. Iam vero, inter Beatorum exercitus virtute eminentes, plures opere fortes inclaruere, plurimi tolerantia in adversis,

utroque simul quam pauci? At inter paucos istos invenire non est, qui Gregorio comparetur. Et, quod attinet ad opera, nemo expectet ut nos totius vitae seriem ab exordio retexentes, acta adolescentiae probemus invicto athleta maxime digna. Quid nobis levius, quam illum calente adhuc iuventa illecebras saeculi firmo et generoso pede calcantem ostendere? posthabitisque omnibus vitae caducae blandimentis ad claustra Cluniacensia convolantem, tamquam ad unicum tutumque innocentiae adhuc intemeratae perfugium? Sed haec, quamvis magna, non ita sunt Hildebrandi propria, ut in aliis quoque non admirentur. Sublimioribus celsitudinibus mentem attollamus. Fundamenta eius in montibus sanctis. Fortitudinis Gregorii laus inde incipit, quo aliorum laus plerumque desiit. Sanctus ipse fuit et inclytus inter Sanctos. At hoc subintelligendum, minime vero demonstrandum. Magna haec laus, sed laus pluribus communis. Laus ipsius individua est plenitudo et vis sanctae fortitudinis et fortis sanctitatis, quae, secum abripit vehitque virtutes insequentium aevorum, illumque titulo christianae fortitudinis Herois coronat perpetuo.

Vir erat Gregorius speciosi severique aspectus, acies oculorum illi acuta serenaque: parvus corpore at pene pinguis: barba palmae dimidio ab ore detonsa rotundaque speciem maiestatis et roboris indidebat: ampla frons et erecta, magnumque caput ab ante decalvatum, primo intuitu sui amorem et observantiam animis ingerebat: eiusque sermo lenis aequae ac canorus corda mulcebat, mentesque suasu flectebat. Modus nihil rustici acrisve praeseferebant, sed tantum nobilem quamdam gravitatem suavi continentiae mixtam, quam magnitudo humilitate temperata gignit, et animi vigor dulcescens caritate Dei, qua totus ipse flagrabat. Talis erat quem Deus, ad conterendos Ecclesiae suae hostes omnium infensissimos, acciverat, singularique fortitudine donaverat. Divino nutu electus elegit Gregorius murum aereum se opponere pro domo Dei, omniumque in eam debacchantium impetus ipse unus profligare. Sed qui erant hostes huiusmodi, quibuscum erat illi dimicandum? Truculentiores omnibus qui inveniri possunt. Haeresis, Schisma, et Simonia, quae magnam principum ecclesiasticorumque partem pervaserant: densa clericorum turba foedis hymenaeis inhiantium, Caesarum potentissimus vaferrimusque, et Antichristi praecones Antipapae nefandissimi.

Cum his omnibus in unum coniuratis manus sunt Gregorio conserendae, acriterque nullaue relaxatione ad mortem usque decertandum. Et eheu! si illi fortitudine opus est animique infracti magnitudine ne succumbat, etiam atque etiam ut resistat et vincat. Sed victoriae fideiussorem acceperat omnium potestatum debellatorem, qui fidem suam illis obstrinxerat verbis: (Joann. XVI. 33). *Confidite. Ego vici mundum.* Verum praeliandi usus adhuc Gregorio

comparandus erat, sicut arma paraverat antequam descenderet in arenam.

Divino consilio Benedicti claustris eductus, et Ecclesiae Cardinalis renuntiatus, in legationibus quatuor Maximorum Pontificum obeundis, mirum est quas ubique locorum devoraverit aerumnas, quae incommodo omnisque generis asperrima perpessus sit, quaeque spolia de hoste tulerit, quaeque trophaea Christo erexerit. Una simul vice septuaginta duos episcopos praelatosque Gallos, simoniaca labe infectos, ad officium honoremque sibi male partum abdicandum adegit. Indicta Turonis Synodo, Berengarium ad suae haereseos abiurationem iterum perpulisse indubium est. Cadolao Pseudo-Pontifici, qui Alexandrum II toto pontificatus tempore exagitaverat, unus Hildebrandus obstitit, et diuturnum schisma Ecclesiam dire dilacerans ipse quoque protrivit.

Magna quidem haec sunt, sed maiora quae sine strepitu, tacito vitae exemplo patrabat. Eius vitae integritas, morumque sanctimonia tanto fulgore enitebant, quanto ad plures principes saeculi illecebris evellendos, eosque aretissimo monasticae disciplinae iugo mancipandos opus fuerit. Et hic maior fortitudinis honos in Hildebrando, magis cuique sapienti mirandum se praebet. Amplissima auctoritate auctus, doctrina et rerum usu celebris, summo apud reges honore habitus, magna egisse poterat his humanis tantummodo adminiculis instructus. At inter praeclariora facinora, arbitrum totius orbis vixisse, magna semper animi demissione, corporisque coercitione, hoc fortitudinis est mortalium viribus imperviae. Fessus est idem ipse Hildebrandus. Cum enim princeps quidam, Langraviorum Thuringiae nobilissimo sanguine cretus, ab eo fuisset sciscitatus: qua virtute fieri posset dignitatis celsitudinem humili sui aestimationi et robur invictum firmo mitique animo amico foedere iungere. Una Christi virtute, ait Hildebrandus. Nec sapientia huiusmodi apud regias domos, verum ad Crucifixi pedes discere est. Quae verba eo fidei ardore prolata, quo sanctum ipsius pectus flagrabat, tanto animi sensu principem pervaserunt, ut illico Henrici III Imperatoris aula, fortunisque omnibus abdicatis, Abbatiae Fuldensi nomen dederit, Iesu Regis stipendiis perpetuo militaturus.

Hic paulo subsistamus, mentemque huic inauditae fortitudinis speciei contemplandae adiungamus. Praeclariora operari et animum non efferre, inter saeculi turbines iactari et corde spirituque caelestibus adhaerere, iniquitati terris late dominantis pectore infracto aequae ac miti solum obsistere; quonam pacto haec Hildebrandus praestitit? Quae virtus in eo? Quod novum caeli munus alteri vix aut numquam conlatum? Quo magis cogitatu volvitur, eo magis arduum deprehenditur. Velut nautae inter dolosas syrtes, caecosque scopulos, ventosque fervido depra-

liantes oceano, hilari vultu vela pendentis, navisque gubernacula pacato opere tractantis, fidenterque ad portum contendentis.

Quid mirum si ad summi Pontificatus apicem unanimi conspiratione evectus, unus ipse Gregorius ab honore refugerit, et nonnisi invitus ac moerens cervicem oneri supposuerit, totius Ecclesiae calamitatum incommoda unus ipse laturus? Hildebrandi fortitudo caduca omnia iam nauci fecerat, nec callidis honoris illecebris irretita, honorum fastigium detrectabat. Ad hoc vero subeundum adacta, nil aliud praeter aerumnarum segetem sibi paratam inhiabat.

II. At hic nemo amplius ab oratione nostra sciscitetur quid magni Gregorius gesserit. Haec persequi noster non fert animus, quippe qui ad magna quae est ipse perpessus explicanda festinat. Magna enim in maxima dignitate agere magnum quidem dici potest. Sed excelsissimae fortitudinis est pati maxima in ipso humanae celsitudinis culmine, quod ex se ipso videtur exigere omnium observantiam, obsequia, et quamdam terris concessam beatitatem. Nihil igitur commemorabimus quomodo opere et sermone potens sicut sol effulserit in domo Dei, ecclesiasticam disciplinam reparando, fidem propagando, errores et corruptelas stirpitus evellendo, ac pro sacrorum libertate pugnando. Hoc unum dixisse sufficiat: Quae ante Pontificatum gesserat, eo cumulatior praestitisse mensura, quo sublimiore pollebat decore, eosdemque hostes ad incitas redigisse quos ante susceperat dimicandos. Verum, cum de iis, quae Pontifex perpessus est, sermo redit, omnia haec obnubilantur, omnisque Gregorianae fortitudinis laus illo historico continetur oraculo, quo dicitur: Singularis inter Pontifices Maximos, qui labores molestiasque maiores Catholicae Ecclesiae commodo pertulerit, acriusque pro ea tuenda liberaque servanda pugnaverit. Et tantum ac talem Pontificem nonnisi Benedicti Sanctissimi familia dederat. Ad id autem sartum firmumque tenendum iuvat aliquid vel summis labiis ex eius vitae actis delibasse.

Guibertus Ravennas Pontificatus ambiens honorem, Gregorium iugulare decernit. Paciscitur cum Cencio primorum Romanorum omnium scelestissimo, pecunia pollicitationibusque allicit, ut nocte Natalitiis Domini solemniter Pontificem ad aram operantem interimat. Ille ex perditissimis hominum agmen cogit, qui ex insidiis proruentes, populos impetunt, feriunt, occidunt, praelatos enecant, altaris repagula infringere inexplibili ferocia contendunt. Nefandissimus Cencius, ceu truculenta bellua, Pontificem invadit, arripitque comis extra templum trahit, latera calcibus atterit, horridisque quatit ictibus, pugione frontem vulnerat, sacrisque vestibis conscissis, catenatum in tenebricosum carcerem detrudit, Henrico Caesari infensissimo traditurus. At rumore tanti sacrilegii totam

Urbem invadente, populus Romanus, quasi vir unus, domum Cencii obsidet. disiectisque foribus magnis clamoribus Cencium morti adiudicat. Is capiti suo imminens periculum persentiens, ad pedes Gregorii convolat, atque in genua provolutus lacrymisque oppletus flagitii sui veniam efflagitat. Qui eum amplexatus, turbas ab eo ulciscendo compescuit. At quonam fructu? Cencius, cui Gregorii magnitudo et benignitas vitam largita fuerat, paulo post ad Caesaris aulam fuga dilapsus est, perfida quaeque in suae sospitatis auctorem machinaturus. Guibertus, Cencio nequitia et feritate compar, sua spe frustratus, Lombardiam petiit; ubi cum perduellibus principibus tumultus bellumque atrum in Ecclesiam inflammabat.

Interea Caesar Vornatiae caetum suarum partium episcoporum conflavit, qui Gregorium immaniorum flagitiorum notis inussum Pontificatu excidisse conclamarunt. Et huic sacrilego molimini, Henrico adnitente, omnes aliorum regionum schismatici praesules adhaesere. Imo is infandam ad Pontificem epistolam dare ausus, Simoniae, necromantiae, demoniacisque ritibus addicti, homicidae, turpis moribus, adulteri, incestuosi, haeretici, Satanae cultoris, aliisque, si qui sunt, probrosi calumniosisque titulis oneratum, ita perurget: Ego Germaniae rex te omnibus iuribus descivisse Pontificatus, quem perperam invasisti, pronuntio, teque ex Romana ista sede descendere iubeo. Unoque eodemque tempore ad Romanos scripserat: Velint Pontificio solio Gregorium abripere.

Illis diebus Pontifex Synodum Romae indixerat, eaque primo congregiente insilit Rolandus quidam schismaticus presbyter Parmensis, qui prae fracta fronte ad Gregorium clamat: Regis Henrici legatus tibi suo nomine praecipio rapina usurpatam hanc cathedram deserere: vobisque adstantibus episcopis, eiusdem Caesaris imperio, indico, festo Pentecostes adventante, eius throno adesse, Papam de manu imperatoris accepturos, cum iste non Papa at lupus sit rapax. Et haec dicens Summo Praesuli Henrici epistolium iciecit. Incredibile dictu est quanta indignatione concitati, extemplo Romanorum praesentes proceres, pugionibus districtis scelestissimum temerarium pervaserint discerpturi. Verum Gregorius mitissimus miserum suo pectore, ceu clypeo, tegens: Ne sanguis Ecclesiam Dei foedet, inclamat: vosque obtestor adversam tempestatem erecto animo obire. Tunc elata voce Henrici folio perfecto, eum universosque sectatores, universo obfirmante caetu, anathemate confixit.

Accessere Pontificiae sententiae tremenda divinae ultionis in pervicaces documenta. Guilelmus Ultraiectensis episcopus, apud quem Caesar Pascha agebat, e pulpito descendens, ubi Gregorio irriserat, diceriisque omnisque generis iniuriis in eum insanierat, atrocissimis viscerum doloribus discerptus, impium spiritum

repente in haec verba evomuit: Et rex, et ego, et omnes iniquitatis artifices perimus. Nemo pro me oret, qui flammis sempiternis addicor.¹⁾ Simili poena in schismaticos praesules ceterosque Caesaris asseclas animadversum est: praesertim Bernardum Misnensem, Hepponem Zeitiensem, et Guzelonem Ducem.²⁾

Quae Omnipotentis irae minime inficienda indicia totas Germaniae gentes ita terruere, ut vel Principes et Praelati pedestres Romam usque iter conficerent, suorum criminum relaxationem impetraturi. Alii, inscio Henrico, omnes custodiae mancipatos illi obsistentes dimittunt; alii eius partes deserentes amico in eum foedere coniurant, totaque Saxonia, armata manu assurgens, tyranni iugum excutit. Imperii vero dynastae omnes in unum Triburiae convenientes, Caesarem Germanorum lege perurgent, vel sceptrum dimittere, vel ante annum ab inflictio anathemate Pontifici se subiicere.³⁾ Simulque legatos ad Gregorium mittentes, enixis votis efflagitant ne dedignetur Augustam usque contendere, omnium Italorum Germanorumque Principum conventum moderaturus, IV Nonas Februarii indictum.

Pontifex, devexa licet aetate, aeris intemperie fortior, medio Decembri, summa horridaque hieme, per abrupta viarum et montium fauces, ingentesque tractus glacie nivibusque asperos, difficillimo itineri se commisit. At Canussina arce apud Mathildem Comitem eo subsistente, en Caesar sacco amictus, fune praecinctus, nudisque pedibus, immanium flagitiorum suorum veniam deprecaturus. Gregorius, qui fallacem hominem millies promissorum fidem nulli unquam praestitisse sciebat, nuperisque litteris ad se datis, humanae hypocrisis monumento, mentitus fuerat ad bonam frugem conversionem, Henricum excipere detrectabat. At huius consobrina Mathilde, Hugone Cluniacensi Abbate, pluribusque Principibus Italis Germanisque de Caesaris resipiscentia fideiusoribus, a sententia descivit, vaticinatus fore ut tantae benignitatis et indulgentiae omnes poeniteret.

Verum fuisse vaticinium brevium dierum probavit intercapedo. Henricus, qui tantummodo ne exueretur imperio, Pontificis veniam perurgebat, humaniora de se pollicitus, durioribusque pactionibus acquiescens; mox ut ab illo discessit, insidias ei parat Augustam proficiscenti et Mathildi comitanti, ut ambobus in tenebricosum carcerem detrusis, Romam exercitu invadat, Guibertum Ravennatem Pseudo-Pontificem iussurus, praelatos omnesque Gregorio studentes mactaturus. Huic divina ope de infanda

¹⁾ Lamb. Annal. Saxon.-Paul. Benried Chronic. Cyticen.-Annal. Trevir. ann. 1076.

²⁾ Bertold. Constant. ann. 1076.

³⁾ Lamb. Card. Arag. Chron. August. ann. 1076.

prodicione opportune commonefacto Romam revertendum fuit, quo eum persecutus Caesar, arce Sancti Angeli, tunc Crescentii appellata, fera obsidione vexat. Reliqua urbe potitus Guibertum Antipapam proclamat, quocum Pontificis exitio moliri non desinens, certo certius peremisset, nisi nefariae cupiditati Robertus Guiscardus Nortmannorum dux obstitisset. Hic Germanorum hostium cuneis disiectis, validaque manu muris Crescentianae turris attritis, Gregorium sacrilegis Henrici Guibertique unguibus rapit.

Dulce aerumnis lenimentum fuit ipsi sepulcrum Sanctissimi Benedicti Parentis in sacro Monte Casino invisere, ab eoque extremo agoni imminente subsidium implorare. Quem non diu post Salerni oppetiens, in illa saeculis haud delenda verba magnam animam caelo inserendam emisit: Dilexi iustitiam, et odivi iniquitatem; propterea morior in exilio.

En Gregorii totius vitae et praesulatus compendium: en celsissimae fortitudinis omnibus invidenda laus. Magna agere et pati fortiter qualicumque ex causa virtus censenda non est. At pro iustitia ad ultimum usque spiritum decertare, infracto nusquam difficultatibus animo tenacem propositi permanere, scopumque suum inter omnis generis adversantia, non proprio sed alieno commodo persequi, hoc illius fortitudinis decus, quae prae ceteris virtutibus omnibus oculorum aciem tanta luce perstringit, quanta omnium admirationem plaususque abripiat. Cum igitur iustitia Gregorio non defuerit, quippe qui in Ecclesia ab erroribus corruptelisque vindicanda totus adlaboraverit, facinorum certe maximum sanctissimumque mortalium: cumque in hoc perficiendo maiora omnium incommoda calamitatesque invictus offenderit, capitisque periculum subire non sit veritus; iure meritoque eum christianae fortitudinis Herois, imo Herois inter heroas titulo ornare non dubitamus.

Probe novimus quae a levibus aequitatisque minime amicis scriptoribus exaggeratae sint in Gregorium calumniae, firmitatem eius elationis vitio ambitusque vertentes. Verum tanto Pontifice tuendo Deus ex heterodoxis ipsis Germanicis excitavit Ioannem Voigtium, qui nullo partium studio abreptus, sed indagandi veri unice sollicitus, praestantissimi ingenii laude, doctrina bonarumque artium peritia pollens, licet caritate patriae suaeque sectae flagrans, talem ex fautorum adversariorumque monumentis Gregorii Septimi imaginem effinxit, qualis severiori historiae critice, uberrima luce niteat sanctitatis et fortitudinis: ita ut similium heroum paucissimos admodum humanum genus pepererit, pares aut maiorem numquam.

Quare ad vos, Benedicti florentissima proles, nostra demum se convertens oratio, vobis penitissimis ex visceribus gratulabitur, quod inter miserentis Dei potiora charismata, quibus domus vestra

abunde affluit, impavidum Gregorii pectus adnumeretis, qui glorias vestras cumulatissime supra modum exornet impleatque; cuius gesta nemo umquam in memoriam revocaverit, quin stupore percussus haereat; cuius laudes nullum aevum reminiscetur, quin ipsae fluant vestris laudibus adiunctae. Siquidem si vestratum gloria est, longa et continuata saeculorum serie, Petri Cathedrae suffecisse successores; maior procul dubio gloria talem suppeditasse Pontificem, per quem sacri caelibatus decus catholico sacerdotio stetit inconcussum. Et si Sanctorum miriades caelo peperisse vestro Patri Legifero honos est singularis, singularissimus tale Caelitum caetibus adiecisse sidus, quale orbis universus usque ad extremum sui fatum, tamquam prodigium suspicere non desinet. Prae aliis igitur ornamentis vestris, Gregorio gloriam minor, qui non modo vitam inter mortales degens maximo erga suum collegium affectus est amore; sed humanis ereptus adhuc inter vos vitam vivit vestris emolumentis sollicitam. Aut inter vos vivere dubitabimus, qui votis vocatus audit, necessitatibusque, quibus premimini, etiam non exoratus vigilat, et illis annuit, istis occurrit? Haud sane ullus supersit ambiendi locus Sanctissimum Gregorium Septimum perpetuum vobis manere incrementum, sicut vivens fuit decus, et columen iam ad astra evectus. In caelis enim retinens religiosum illum animum, qui ipsum Ordini nectit suo, illumque fortitudinis characterem, quo semper refulsit; sicut hunc homo inter homines magna agendo et tolerando patefecit, nunc beatitatem nactus, cum nequeat amplius gravium tolerantia fortem se praebere, Heros fortitudinis patebit vobis agendo. Ideoque sicut ante extitit fortissimus Pastor, ita modo extat validissimus Tutelaris, domumque familiamque suam e caelo alloqui videtur illis ex Psalmista Vate verbis: *Fortitudinem meam ad te custodiam.*¹⁾ Quasi velit fideiussorem se statuere totius suae fortitudinis illius commodo bonoque servandae.

P. S.

Die Papstbilder in der Laterankapelle Callistus II.

Von P. Bonif. Wolff in Maredsous.

Erster Artikel.

Es war wohl im Rückblick auf seinen Aufenthalt zu Bari im Jahre 1120,²⁾ dass Papst Callist II. die von ihm erbaute Pallastkapelle im Lateran dem hl. Nikolaus weihte. Pandulph sowohl als Boso, die ältesten Biographen des Papstes, erwähnen den Bau dieses Oratoriums, welches am Südende des berühmten Tricliniums, also nordöstlich vom jetzigen Hauptportale des Laterans,

¹⁾ Psalm. LVIII.

²⁾ Watterich II. 141.